

Etenim quoties, sodes, contingit, quod breve tempus longum sit imparatis ut Cicero in *Philipp. loquitur* & vel unica (non dicam diem) hora infinitas trahat calamitates? Ita sanè nos inter atque adversarios sæpius vel ex stratagemate res agitur, ut opete potiùs quàm consiliò indigeamus. At quid tum isti ἀειροί? Diem ut sacrificii ita consilii quoque, nisi contra juratas leges agere velint, expectare tenentur. Ibi post certus Comitiiis determinatur dies, ubi facillimè gravis urgere causa potest, quin justo adsint tempore, vel si adsint, altercando horas terant consumantque & quod in aliis dicam scribentes nobis hic nobiscù eant in sententiam, nulli diffitemur, jamjam exaudire nobis visi iteratas in schedis istis, quas Novellas vocant, querimonias, quibus tamen impræsentiarum, cum inde peti possint, super sedemus.

Thef. 16.

Jam *πολυπλησία*, quæ miserè polyarchiam divexat, oblivione quoque, si yacaretur, sepelienda haud esset. Pedisequam hanc ejus haud vocaveris iniquè, quippe quæ eò facilius irrepit, quo plures circa unum regimen collegæ sunt. Tum enim in dicenda sententia scapham scapham ligonem ligonem vocare alium necessitudo prohibet, alium invidia & affectus privus ad quem se componere homines didicere hodie permulti. Prodeunt hinc per conniventiam tot impunita facinora enascunturque sæpius ad innocentis injuriam sententiarum corruptelæ, quibus omnibus nectit affabrè repagulum solus ad gubernacula sedens Monarcha.

Thef. 17.

Atque hoc illud est, ut ego arbitror, quod Viros emunctæ naris tot movit suò nos juvare calculò. Sic Rex  
Plato-